



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 90. Sessio XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

viebat. Postera die prima Julii per solem-
 nem Deputationem, cui duo Cardina-
 les, alique Prælati interfuerant, ad re-
 tractandum invitabatur; quibus tamen
 responsi loco non nisi schedam manu sua
 exaratam tradidit, in qua ferme eadem,
 quæ in prioribus suis effugiis adduxe-
 rat, expressa legebantur, negans, se ar-
 ticulos sibi objectos docuisse, aut prædi-
 casse, dixitque, se nullum eorum abjura-
 turum, eo quod timeret, ne Deum offen-
 deret, contra veritatem, & sanctorum
 Doctorum sententiam loquendo. Verum
 priusquam hæc causa dirimeretur, ad
 celebrandam Sessionem decimam quar-
 tam convocatum fuit Concilium.

Sæcul. XV.

A.C. 1415.

§. XC.

Session XIV.

Session hæc habita est decimo quarto Ju-
 lii. Quia vero Gregorius XII. Syno-
 di, utpote a Joanne æmulo suo convoca-
 tæ auctoritatem non agnoscebat, atque,
 si Cardinalium quisquam præsideret,
 Papatum dimittere recusabat, Patres
 Cæsarem pro hac duntaxat vice, sine
 præjudicio in futurum Sessioni præsi-
 ciendum esse censuerunt. Quapropter
 neque Missa cantata, nec reliqua officii
 divini solemnities alias consueta perageban-
 tur, sed nonnullis tantum decantatis
 Hymnis,

Labbe Conc.

to. 12. p. 103.

Sæcul. XV. A.C. 1415. Hymnis, sacrum solemne tum demum celebrabatur, postquam Cardinalis Ragusinus nomine Gregorii convocaverat Synodum, non enim Pontifex iste conventus hucusque institutos pro Generali Synodo habebat. Visum fuit Synodi Patribus, amore pacis in hoc puncto aliquid indulgendum esse Gregorii fastui; non enim exiguam hancce submissionem Synodo præjudicium afferre posse, tum temporis credebatur, quamvis exinde Concilii auctoritati plurimum derogatum fuisse, tempus docuerit. Hinc complures tenent Doctores cuncta, quæ tunc agebantur, potius simplicem confirmationem, quam Synodi convocationem continere; ita sane Richerus Doctor, Maimburgus aliique nonnulli sentiunt.

§. XCI.

Cæsar hujus Sessionis Præses.

Verum ut res se habet; id exploratum habemus, quod Imperator in hac Sessione Præsidis vices suppleverit, in sede ad Altaris frontem posita locatus, cujus latera stipabant, atque humiliores occupabant sedes Cardinalis Ragusinus, & Carolus de Malatestis Ariminensis Toparcha; Qui, perlectis Gregorii Papæ Bullis Arimini die decima tertia Martii datis, auctoritate per easdem concessa,
partes